Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 665
Quelle:
Copyright:

caeo et *Montefalconio* legitur T. III. p. 787. cum verſione poſterioris ad graecum exacta; vetus enim noſtra in multis ab illo abit. Ita ſub finem noſtra de Principibus: *ingredientes limen eccleſie deponunt coronam. et crucem chriſti in ſuis depingunt frontibus. Foris arma. hic miſteria. foris ſcuta. hic ſacramentorum celebracio. Theodoſius* (Theodoſii) *filius et pater Theodoſius* (Theodoſii) *religione ac pietate inſignes* (inſignis). *Ideoque pro his omnibus gratias agamus domino per chriſtum* &c. Graecum Θεοδοσιου υἱος και ὁ πατηρ Θεοδοσιου non poteſt deſignare, niſi *Arcadium*, neque Verſio noſtra illud ἀωρῳ ἡλικιᾳ exprimit, quod Chronologiae repugnat, et in Textum irrepſiſſe videtur.

VII. *fol.* 173. p. 2. *Sequitur eiusdem Omelia de penitencia.* Initium: *Prouida mente et profundo cogitatu cognoſcere debent* &c. Item: *Sermo eiusdem de penitentia.* Initium: *Miſerere mei Deus ſecundum magnam miſericordiam tuam. Dixiſti magnam. edicito quantam* &c. Laciniae ſunt e ſpuriis *in Pſalm. L. Homiliis*, quas *Montefalconius* T. V. ad p. 572. inſeruit.

VIII. *fol.* 177. *Incipit Prologus Aniani in Omelijs beati Johannis epiſcopi de laudibus pauli.* Homiliae hae VII. ab *Anniano* Diac. *Celedenſi* addicto quidem *Pelagii* erroribus, ſed in hoc labore integre verſato in latinum Sec. V. traductae habentur edit. ſaepe *cit.* T. II. a p. 475. Initium Prologi: *Domino ſancto ewangelo presbitero Anianus ſalutem. Recenti experimento ego didici* &c. Initium Sermonis I. *Nihil prorſus errauerit qui pratum quoddam inſigne uirtutum* &c. Finis ultimi: *Oremus eciam ut ipſi quoque eisdem perfruamur bonis gratia et miſericordia domini noſtri* &c. Lectio ſat caſtigata.

IX. *fol.* 204. *Incipit Criſoſtomus de compunctione cordis ad Sterlencium* (Στελεχιον). Initium: *Et quomodo poteſt fieri quod imperas o homo dei deo dicate Sterlency* &c. Eſt *Liber* II. hujus Tituli; prior enim *ad Demetrium* inſcribitur. Noſter nova verſione ſociatus extat edit. *cit.* T. I. p. 140.

CCXIV. VII C. 10

Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 183. f. per duas columnas nitide ſcriptus, rubricisque decoratus exhibet I. *Commentarium in Evangelium Matthaei* Autore *incerto*, Arianorum et Anomoeorum erroribus implicito, qui non multo poſt *Theodoſii* tempora hoc opus lingua latina ſcripſit, et fortaſſis ipſemet *Johannis Chryſoſtomi* Archiep. Cplitani nomen, ſub quo et in praeſenti *Codice* comparet, ementitus eſt. *Homiliarum*, in quas inepte diviſum eſt, *elenchus* nobis initium facit, quarum XXXIX. habemus, cum in edit. *Mauriana Montefalconii Opp. Chryſoſt.* T. VI. *Pariſ.* 1724. a p. XI. numerentur LIV. cuius rei ratio mox 167